Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3091

Quelle:
Copyright:

Post multa de Seculi perversione lamenta sequitur *Conflictus* ille *corporis et anime*, quem obvium habuimus *Cod.* CCCXXIX. sed ibi rectius scriptum; hic enim legas:

Uir quidam excitatur (extiterat) *dudum Heremita*
Philbertus (Fulbertus) *Francigena cuius erat* (dulcis) *vita* &c.

IV. *fol.* 139. *Incipit liber filiorum dei.* Initium: *Quicunque vult vivere in perfectissimo statu alme matris ecclesie necesse est primo ut sit bonus homo instanter actualis. Secundo ut sit zelotes spiritualis. Tercio eleuatus contemplacionis supernaturalis. Quarto caritate effluens communis ac generalis.* Atque Quatuor haec per Articulos XIII. deducuntur. Testis nullus praeter *Biblia* et *Bernardum* excitatur. Itaque nescio, ad quem referam istum Libellum.

V. *fol.* 154. p. 2. Commentariolus fabulosus de Fuga *Christi* in *Aegyptum*, Caede Infantum et tribus *Herodibus*, hoc principio: *Innocentes vno die antequam ab Herode occiderentur, apparuit angelus domini* &c. Subscriptum notum Prognosticon *Clara dies Pauli* &c. et istud minus notum:

Vincenti festo si sol radiat memor esto
Tunc prepara vas quia vitis dat tibi uvas.

VI. *fol.* 156. Certamen Misericordiae et Iustitiae ante Iudicem in fine mundi. Initium: *In die furoris domini cum venerit iudicare viuos et mortuos* &c.

VII. *fol.* 157. p. 2. *Capitulum Quintum. Cum igitur obtinuissent filij ysmabel vniuersam terram et depopulassent vrbes et regiones* &c. Revelationes sunt *Pseudomethodii* initio truncatae, de quibus jam sermo ad *Codd.* plures. Hic in *Capita* XVIII. distributae sunt, quorum IV. priora deficiunt, *quintum* vero coincidit cum *fol.* 9. Editionis a. 1516. *Basileae* 4. curatae a *Seb. Brant*, quo in negotio Virum cetera sat emunctae naris mirere, multoque magis *Wolfg. Lazium*, de quo ad *Cod.* DCXXXII.

VIII. *fol.* 169. p. 2. Prognosticon pro *Anno domini MCCCCLXXVIII.* cum Serie *Ecclypsium* usque ad an. 1491. Divisum est in *Conclusiones* XII. quarum I. incipit: *quod prima quarta anni preter cursum sue nature ad frigiditatem declinabit* &c. *Italis* lites et rixae, *Friderico* III. Imp. infortunia, *Venetis* gloria ex armis praedicuntur. Imperatorem *tewchrorum* (Mahometen II.) non credit Vates noster hoc anno in humanis conservandum. At is a. demum 1481. excessit.

IX. *fol.* 172. p. 2. Versio germanica (si modo Versio) *Epistolae*